



BVB-ID: BV008531385

UBEI-Laufzettel

09.07.2012

Döderlein, Johann Ludwig:

Dissertatio de Sophoclis Ajace / auctore Ludovico Döderlein. -

München, 1837. - S.107-130. - (Bayerische Akademie der Wissenschaften
<München> / Philos.-Philol. Kl.: Abhandlungen der ... ; 2,3.)

Buchdatensätze:

00/AX 17140-2,1/15

Schlagwörter:

Notationen:

AX 17140

III.

Dissertatio

de
Sophoclis Ajace.

Sophoclis Ajace

auctore

Dr. Ludovico Döderlein,

professore Erlangensi.

RV 0085 313.85

XXXXXXXXXXXXXXXXXXXX

00000000000000000000

XXXXXXXXXXXXXXXXXXXX

DL

XXXXXXXXXXXXXXXXXXXX

XXXXXXXXXXXXXXXXXXXX

XXXXXXXXXXXXXXXXXXXX

XXXXXXXXXXXXXXXXXXXX

XXXXXXXXXXXXXXXXXXXX

XXXXXXXXXXXXXXXXXXXX

XXXXXXXXXXXXXXXXXXXX

XXXXXXXXXXXXXXXXXXXX

XXXXXXXXXXXXXXXXXXXX

XXXXXXXXXXXXXXXXXXXX

XXXXXXXXXXXXXXXXXXXX

Dr. Ludovic Dabovich
Professeur d'Anglais

1105947

XXXXXXXXXXXXXXXXXXXX

De Sophoclis Ajace.

Sophoclis ea fabula, quae Ajacis nomine inscripta est, dubitari potest utrum a virtutis poeticae admiratione majorem famam habeat, an a vitii cujusdam crimine. Atque in laudibus operis facilis erat et libens consensus: illud multi vituperaverunt, quod justo plus extenderetur tragoedia post Ajacis interitum, quem non solum lamentatio sequeretur propinquorum, Tecmessae Teucrique, sed certamen etiam de sepultura, idque ipsum certamen ultra modum prolixum; nam primo Menelaum introduci qui interdiceret, deinde Agamemnonem qui idem faceret, donec Ulyssis interventu tandem aliquando venia impetraretur. Id poetae consilium alii aliter vel excusare studuerunt vel purgare, quorum ego sententias nec censere nec recensere nisi in transitu statui, et quid ipse de consilio poetae universo sentiam exponere in animo est, sponte hinc apparituum esse ratus, quae vis insit in posteriore Ajacis tragoediae parte quamque necessaria sit ad perficiendum id quod poetae ingenio obversabatur.

Demonstrare voluit Sophocles tragoedia Horatianum illud:

Vis consili expers mole ruit sua;
 Vim temperatam di quoque provehunt
 In majus; idem odere vires
 Omne nefas animo moventes.

Vim consilii expertem Ajax repraesentat ejusque culpa ruit in vitia, in mala, postremo in exitium.

Prima ejus personae lineamenta depinxit jam Homerus, percoluerunt fortasse cyclici poetae, certo tragici ac Sophocles.

Nam Homerus frequens est in celebranda Ajacis Telamonii vi ac virtute, sed bellica duntaxat. Mole corporis ingens est, viribus insignis, manu fortissimus, denique mirum in modum laudatus his versibus II. XVII. 280.

*Αἴας ὃς πέρι μὲν εἶδος, πέρι δ' ἔργα τέτυκτο
 τῶν ἄλλων Δαναῶν, μετ' ἀμύμονα Πηλείωνα.*

Sed idem Homerus, si etiam tacendo loqui credendus est, huic tanto viro ingenii, solertiae, sapientiae laudem derogat quodammodo. Conciliis interest quidem Ajax, sed elinguis, Iliad. II. 406. Inter legatos ad Achillem deligitur, sed orandi munus Phoenici relinquit et Ulyssi, ipse extremo colloquio pauca disserit, et affectu majore quam ratione et eloquentia. II. IX. 223. 624. Adeo mutus est inter illos qui pauci remanent consolando Achilli II. XIX. 310. Nusquam fere verba facit nisi in proeliis ad exhortandos pugnatores.* Nihil praeter staturam in Ajace laudat Helena II. III., 229. Nec ingenii solum sub-

*) Etiam Pindarus Nem. VIII. 41. Ajacem vocat *ἀγλαῖον μὲν, ἤτορ δ' ἄλκιμον*.

tilitas deerat, sed corporis ipsa vastitas prohibebat agilitatem. Ipse μέγας dicitur vel adeo πελώριος, quo nomine discernitur a cognomine Oilei filio, ταχεῖ dicto; statarii demum militis repraesentabat imaginem, immobili gradu resistere consuetus et quasi quodam pondere corporis solo infixus, φέρων σάκος ἥντε πύργον Il. XVII., 128. XI., 485. sive βουγάιος XIII., 824 h. e. βοῖ seu σάκει ἐπταβοεῖω γαίων.*) Disertius etiam describitur Il. XIII., 324.

οὐδ' ἂν Ἀχιλλῆϊ ῥηξήνορι χωρήσειεν
ἐν γ' αὐτοστανδίῃ· ποσὶ δ' οὐπὼς ἐστὶν ἐρίζειν.

Inde factum est ut in lucta facile Ulyssis δόλῳ prosterneretur Il. XXIII., 724; levando ac sustollendo vinci non potuerat. Idem quanquam semet ipso testante, Il. VII. 498, ne artem quidem dimicationis ignorabat, tamen multo crebrius quam reliqui heroes et studio quodam ad priscum illud pugnae genus et rudibus ferisque pugnatoribus frequentatum relabatur, ut saxorum moles torqueat et in hostem conjiciat; Il. VII., 268. XII., 380. XIII., 323. XIV., 409. Denique in universum aestimanti Homerus, is qui caeterorum heroum formas mortalium corporibus aequales ac viribus tantum multo validiores finxit, unum fere Ajacem Telamonium prorsus immani gigantum ac Titanum robori ac ferociae de industria assimilavit.

Huic heroi novam induit ac tragicam personam Sophocles, ita tamen ut percoleret ab Homero tradita magis quam permutaret. Est enim Sophocleus Ajax corporis viribus unice ac prope stolide ferox, iisque et virtutibus et vitiis notabilis, quae tantam ferociam sequi solent, homo audax, simplex, honestus, idem pervicax, iracundus, confidens. Sed affinxit poeta quendam τύπον quo mores ejus magis etiam adaptaret cothurno. Ajax prae ferocia contemptor est quadam-

*) De eo vocabulo disserui in Niebuhrii Mus. Rhen. 1828. Tom. II. Fasc. II. p. 254.

tenus sapientiae, ac prae morum simplicitate et candore animi osor prudentiae ac moderationis, quarum virtutum utile proposuit nobis exemplar Ulysses. Igitur Titanum^{*)} in hoc quoque similis est Ajax, quod vi omnia patrari ac perfici posse putat, et consilia tamquam ignavorum hominum et imbellium perfugia aspernatur, prorsus ignarus quid intersit prudentiam inter et vafritiem. Brevissime ejus naturam describit intelligentissimus veri et unus omnium nec nimio studio Ajacis nec odio corruptus, Calchas vs. 758.

*τὰ γὰρ περισσὰ κἀνόητα^{**)} σώματα
πίπτειν βαρείαις πρὸς θεῶν δυσπραξίαις κ. τ. λ.*

Ipsius poëtae judicium audire mihi videor. Ex hoc errore Ajacis omnia manant quae peccat, ad hunc omnia referenda.

Jam primum pauca de armorum judicio. Ejus ut essent arma Achillea destinatum erat, qui plurimum Achivis profuisset. Atqui Ajax manu, Ulysses consilio utilior fuerat. Diu magnum inter mortales certamen fuerat, vine corporis an virtute animi res militaris magis procederet^{***)}, tum vero Graeci animo plus tribuere coeperunt; itaque Ulyssi τὰ ἀριστεία adjudicabant, φωτὶ παντουργῶ φρένας, ut videtur Ajaci scilicet, vs. 445. Judicium id fuit, ab Atridis, judicibus legitime vel divinitus constitutis factum. Boni consulendum fuit litigatori victo, si saperet. Quid Ajax? Justius de hoc quam de Achille narraret Horatius:

Jura negat sibi nata, nihil non arrogat armis.

^{*)} Aesch. Prom. 205.

^{**) Cum Bothio Suidae lectionem κἀνόητα praefero librorum scripturae κἀνόητα, propter vs. 763. ἄνους εὐρέθη. Euphemismo h. l. non magis locus fuit quam vs. 1272, ubi Lobeckius κἀνόητα etiamsi in textum non recepit, tamen probat, consentiente Ms. Monac. a me collato. Ἀνόητος; autem h. l. non solertiam universam praecludit, sed σωφροσύνην maxime; vid. vs. 133. Quod eundem Minerva προνοούσασαν vocat vs. 119. ad omnem omnino prudentiam referri nequit.}

^{***)} Sallust. Cat. 1.

Ad ultimum contumaciae prolabitur, ultionem exitiumque parat tam iudiciis quam adversario victori; quasi societas civilis, cujus beneficio ferocia naturalis cohibetur et vires corporis animi imperio concedere coguntur, vel extaret nulla vel nihil esset. Vere de hoc facinore Agamemno vs. 1247 conqueritur:

κατάστασις γένοιτ' ἂν οὐδενὸς νόμου,
εἰ τοὺς δίκη νικῶντας ἐξωδήσομεν,
καὶ τοὺς ὀπίσθεν εἰς τὸ πρόσθεν ἄξομεν.

Sed consentaneum hoc erat Ajacis ingenio; nec indignum suae sibi virtutis conscio*); nam etsi non adeo ferus erat ut justitiam prae violentia laederet, tamen non eo humanitatis cultu temperatus, ut ei iudicio, quod injustum esse sibi ipse persuasisset, suam animi sententiam submitteret et condonaret, et quemadmodum Spartanorum rex apud Thucydidem vel Socrates Platonicus leges publicas semet ipso sapientiores crederet.

Iram et scelus Ajacis Minerva Atridis Ulyssique propitia irritum facit, et ut eodem actu poena sceleris detur, in risum et ludibrium convertit. Jure omnes eam scenam, qua Ajax pueriliter exsultans et ridicule saeviens inducitur, ut cothurno dignissimam admirati sunt**); augetur enim ipse horror et miseratio eo ipso, quo gravior suapte natura Ajax et austerior et ab omni festivitate jocoque alienior specieque atrocior fingitur.

Saevus enim est, ingenio, non propter vesaniam; nam sanus consilium occidendorum inimicorum ceperat***), in quo dementia nihil

*) Vid. v. 423. 442.

**) Vid. Jacobs p. 112. in Nachträgen zu Sulzers Theorie d. sch. K. Vol. IV. p. 1. 1795.

***) Errat enim auctor argumenti: κρατεῖ Ὀδυσσεὺς· ὁθεν ὁ Αἴας τῆς κρείστος μὴ τυχών, παρὰ κείνην καὶ διέφθαται τὴν γνώμην.

mutavit aliud quam ut in ipso itinere demum mente captus, pecora pro hominibus duceret et cruciaret.

Non tamen haec saevitia ex duritie animi perpetua manat, sed unice ex ira; ipsa autem iracundia, in heroibus praesertim, documentum simplicitatis et pars generositatis habetur, ut in Achille^{*)}. Non indignius in Ulyssem saevit Ajax quam Achilles in Hectorem, nisi quod hic quidem amore Patrocli incensus, Ajax autem sua causa; sed ne Ajax quidem proprio tantum odio, sed quodammodo pro justitia^{**)}, quam Ulyssis victoria violatam et pessundatam esse judicat; idem haud dubie facturus, etiamsi ad alium quempiam pertineret injuria; tam strenuum juris justitiaeque cultorem et vindicem Sophocles eundem Ajacem non casu, credo, inducit in Philoct. 410.

Quo quis acrius odisse potest et, si occasio fert, ulcisci, eo ardentius amare solet, ut ajunt. Ergo ut compensaret poeta sapientissimum odium Ajacis, et demonstraret, quanta cum bonitate animi illa immanitas conjuncta esset, teneros affectus Ajacis non celat, sed ut solent antiqui sive poematum sive artificiorum autores, parce et quam plurimum quam paucissimis significantes, et leni monitu ad id quod volunt perducere spectaturos consueti. Non frustra patris matrisque recordatione et reverentia commovetur, ut filium familias vix adultum magis quam virum audire videaris. Quam caram porro habeat Tecmessam, tribus verbulis prodit v. 559.

τέως δὲ κούφοις πνεύμασιν βόσκον, νέαν
ψυχὴν ἀτάλλων, μητρὶ τῇδε χαρμονήν.

*) Praeclare de Achillis ingenio et iracundia disseruit Ad. Lange, in Vermischt. Schriften ed. Jacob. 1833.

**) vs. 448.

οὐκ ἂν ποτε
δίχην κατ' ἄλλου φωτός ὧδ' ἐψήφισαν.

neque his ad ipsam Tecmessam conversis sed ad infantem Eurysacen, et ita, credo, ut ne audiantur quidem ab ipsa Tecmessa. Pudebat, opinor, virum specie ferreum, muliebrem profiteri amorem, ne forte uxorius videretur. Propalam enim praebet maritum se parum comem in modestissimam et amantissimam conjugem, sed imperiosum et fastuosum, v. 527.

καὶ κάρτ' ἐπαίνου τεύχεται πρὸς γούν ἐμοῦ,
ἐὰν μόνον τὸ ταχθὲν εὖ τολμᾷ τελεῖν.

et vs. 594.

μωρὰ μοι δοκεῖς φρονεῖν,
εἰ τοῦμόν ἦθος ἄρτι*) παιδεύειν νοεῖς.

et truculento sermone vs. 369. consolantem et mitigantem deterret:

οὐκ ἐκτός; οὐκ ἄφορρόν ἐκνεμεῖ πόδα;

Ac ne forte tum demum per morbum et malis exacerbatum eam duritiem in tempus indutam putemus, narrat Tecmessa vs. 287.

ὁ δ' εἶπε πρὸς με βαῖ, ἀεὶ δ' ὑμνούμενα·
γύναι, γυναιξὶ κόσμον ἢ σιγῇ φέρει**).

*) Hoc ἄρτι, ut ingenue fatear, non intelligo. Vertunt nunc, tam languide quam contra usum; nam ἄρτι est modo. Fortasse legendum est:

εἰ τοῦμόν ἦθος ἄρ' ἔτι παιδεύειν νοεῖς.

in quo ἔτι non ad diuturnas et irritas Tecmessae preces, sed ad constantem Ajacis aetatem magistros et admonitiones aspernantem referendum erit.

**) Hinc etiam lucem accipit v. 530

φίλων γὰρ οἱ τοιοῦδε νικῶνται λόγοις.

Non illud vult mulier dicere, vinci solere amicorum affatu Ajaem, sed hoc: femina ego et uxor frustra consiliari et solari tam ferocem virum conata sum; viris et amicis talia ingenia libentius obsecundare solent quam mulierculis. Propterea φίλων oppos. τὰ φίλτατα initium versus occupat.

Deorum irreverentia imputatur vulgo Ajaci*). Non tamen eo prolapsus est ut despiceret deos vel negligeret, sed quod nimium suis ipse viribus confidebat, οὐ κατ' ἀνδρωπον φρονῶν. — Invidiam (ἀστεργῇ ὀργήν) majorem Minervae contraxerat quam iram (μῆνιν) illis verbis, quibus patri deorum reverentiam commendanti responderat v. 768.

πάτερ, θεοῖς μὲν κἄν ὁ μηδὲν ὦν ὁμοῦ
κράτος κατακτήσασθαι· ἐγὼ δὲ καὶ δίχα
κείνων πέποιθα τοῦτ' ἐπισπάσειν κλέος**).

vel illis, quibus deae ad pugnam exhortanti responderat vs. 774.

ἄνασσα, τοῖς ἄλλοισιν Ἀργείων πέλας
ἴστω, καὶ ἡμᾶς***) δ' οὐποτ' ἐκρήξει μάχη.

Ac nihilo minus Εὐμπαχον semet praestiterat Ajaci vs. 90., nisi forte credas temere et frustra ab ipsa hoc jactari, quod insanire Ajacem sciat Minerva! Tum demum, quum Atridis et Ulyssi exitium

*) Jure hanc sententiam certis finibus circumscripsit Welckerus in Nieb. Museo Rhen. III., I. p. 69.

**) Similem superbiam de Locro Ajace narrat Hom. Od. IV. 501.

φη δ' ἀέκητι θεῶν φηγεῖν μέγα λαῖτμα θαλάσσης.

Putes famam posthomerica utriusque Ajacis ingenia commiscuisse.

***) Hoc καθ' ἡμᾶς si nihil aliud posset significare quam quod Hermannus vertit, per me, quantum in me est, non perrumpet hostis ordines nostros, emendatione locum indigere censerem; adeo abhorret haec sententia ab ingenio Ajacis et poetae. Quid enim modestius et erga deos immortales reverentius dicere potuit? Quid, si hanc imbecillitatis humanae professionem addidisset, displicere Minervae potuit? Convenientius nuper Lobeckius: „καθ' ἡμᾶς esse dicuntur, quae nobis sunt ex adverso et juxta posita . . . οἱ καθ' ἡμᾶς ταχθέντες vel μαχομενοι οὐποτε ἐκρήξουσιν.“ Ego simpliciore rationem antepono: quod ad me adtinet, i. e. ubi mea statio est. Eo sensu κατὰ etiam apud poetas: Trach. 101. κατ' ὅμμα. Oed. T. 1087. κατὰ γνώμαν.

intentantem juraque humana et divina pervertere cupientem Ajacem videt, ira (μῆνις) accessit et ultio, non ultra eum diem quo peccavisset et poenas dedisset duratura, testante Calchante vs. 756.

ἐλᾷ γὰρ αὐτὸν τῇδε θῆμέρα μόνῃ
δίας Ἀθάνας μῆνις.

Sed odisse etiam incipit Ajax deos postquam infestos sibi et, ut ipse putat, injustos expertus est, Minervam maxime ut quae justam vindictam inhibuerit; quod primum conqueri satis habet vs. 404.

ἀλλὰ μ' ἂ Διὸς ἀλκίμα θεὸς ὀλέθριον αἰκίζει,

deinde acerbius accusat vs. 455.

εἰ δέ τις θεῶν
βλάπτοι, φύγοι γ' ἂν χῶ κακὸς τὸν κρείσσονα.

donec ad cavillationem prolabitur vs. 590.

Sapere si didicisset Ajax post tam triste experimentum, quum ὠμότης ista*) qua et semet adversus mollitiem armare et tenellam filioli infantiam**) imbuere volebat, tam homines quam deos haberet adversos, si iracundiam, confidentiam, contumaciam ponere et humanitatem induere coepisset, ita diis hominibusque reconciliatus potuisset vivere; nunc exuere Ajax Ajacem non voluit, non potuit, non debuit, ne tragoediae idoneus heros esse desineret. Mori se mavult. Multae

*) Hinc suorum etiam judicio ὠμόφρων vocatur v. 951. ὠμοκρατής v. 205. ὠμόθυμος v. 885. Ipsum Διαντος nomen, ni fallor, ab αἰανός, αἰνός, saevus ductum viaetur, quod cur Latini in Ajacem mutaverint, causa fortasse fuit quod Διαντος nomen cum nomine Αἰακοῦ avi confundeabant.

**) v. 548.

ἀλλ' αὐτίκ' ὠμοῖς αὐτὸν ἐν νόμοις πατρός
δεῖ πωλοδαμνεῖν κάρομοιοῦσθαι φύσιν.

fuere causae, quibus ad deserendam vitam compellebatur. Primum sane pudore vesaniae et flagitii admissi, non quo poeniteret cepisse regicidii consilium, sed quod perpetrare non potuerat, et risum adversariorum metuens, non solum quod ausis excidisset, sed etiam quod in puerilem errorem incidisset; tandem supplicium exspectans et ultionem Graecorum, quorum bona attriverat. Haec fere significat passim in cantico illo primo a v. 348 — 428., ita tamen ut mortem optet magis quam decernat. Nam emollitus et fractus etiam tum est viri dolore alias invicti animus subita tam infiniti et insanabilis mali cognitione, qualem virum paulo ante descripsit Tecmessa vs. 317.

ὁ δ' εὐθύς ἐξώμωξεν οἰμωγὰς λυγράς,
 ἃς οὐ ποτ' αὐτοῦ πρόσθεν εἰρήκουσ' ἐγώ.
 πρὸς γὰρ κακοῦ τε καὶ βαρυνύχου γόου·
 τοιούδ' αἰεί ποτ' ἀνδρὸς ἐξηγεῖτ' ἔχειν.
 ἀλλ' ἀψόφητος ὀξέων κωκυμάτων
 ὑπεστίναζε, ταῦρος ὥς βρυχώμενος*).

Sequente et continuo sermone vs. 430 — 480. ab affectu et querelis ad deliberationem transit, collecto animo virili et mente reputans: indignum se paterna virtute haberi, Ulyssi postpositum; contumelias et injurias passum, impune; justam nimirum ipsius ultionem de-

*) Olim igitur Martis saucii exemplo mugire consuevit Ajax dolens, in quo more inest pugnae quaedam adversus dolorem species; qui contra illacrimant, cedere videntur dolori. Comparare juvat cum Ajace commutato commutatum Philippum regem in Schilleri tragoedia. Is constantia et rigore animi non dissimilis Ajaci, Carolo filio oculos lacrimis implenti indignabundus:

Vollends Thränen?

Unwürdger Anblick! Geh aus meinen Augen!

Idem rex posthac, quum Posae fraude honestissima se illusum intellexit, animi victus lacrimas effundit, obstupescētibz universis incredibili rei novitate: Der König hat geweint! Sive lacrimae condonabantur, saltem οἰκτοι et οἰμωγαί ignavorum hominum videbantur. Vid. Aesch. Theb. 51.

orum ope malam causam defendentium praepeditam; nusquam sibi perfugium, neque ad deos immortales, neque ad Graecos, neque ad Trojanos, neque ad patrem; undique pericula vel ignominiam imminere; unicum sic afflicto remedium esse mortem, tam ad restituendam dignitatem quam ad tot tantaque mala effugienda. Haec igitur reputans destinat mortem v. 473.

*αἰσχροὺν γὰρ ἄνδρα τοῦ μακροῦ χρήζειν βίου,
κακοῖσιν ὅστις μηδὲν ἐξαλλάσσεται.*

*τί γὰρ παρ' ἡμᾶρ ἡμέρα τέρπειν ἔχει
προςθεῖσα κἀναθεῖσα τοῦ γε κατθανεῖν;
οὐκ ἂν πριαίμην οὐδενὸς λόγου βροτόν,
ὅστις κεναῖσιν ἐλπίσιν δερμαίνεται.
ἀλλ' ἢ καλῶς ζῆν ἢ καλῶς τεθνηκέναι
τὸν εὐγενῆ χρή · πάντ' ἀκήκοας λόγον *).*

*) Hi versus partim interpretem adhuc expectant. Ad alterum ex his Hermannus: „κακοῖσιν non est in malis sed malis, i. e. quod attinet ad mala. Proprie: qui „malis nihil commutatur i. e. cui mala non commutantur cum bonis.“ Vellem Lobeckius speciosiora substituisset; at vero sicco pede transiit. Mihi κακοῖσιν est utique instrumentalis, ἐξαλλάσσεται aut medium, qui malis (scil. perpetrando) nihil de fortuna sua demutat, aut ut H. Stephano visum est, passivum, h. s. qui nulla malorum tolerantia ulla ex parte malorum liberatur. Conclamati porro vs. sqq., quos quomodo intelligam, hac paraphrasi illustrabitur: τί γὰρ τέρπειν ἔχει ἡμέρα, τί ἄλλο παρ' ἡμᾶρ προςθεῖσα καὶ ἀναθεῖσα ἢ τὸ κατθανεῖν; Bis intelligendum est τί interrogativum, ut objectum sit simul verbi ἔχει, simul participiorum προςθεῖσα κἀναθεῖσα. Omnes spes, inquit, omnia gaudia ex mea vita in perpetuum exantia sunt; (quid enim delectare potest eum qui sempiterna ignominia affectus est?) nihil porro me manet praeter mortem aut mortis dilationem et injucundam dierum aliquot accessionem, quarum rerum neutram in gaudiis numero. Non anxie urgendum nec proprie accipiendum illud παρ' ἡμᾶρ; ut non alternantes, sed modo afferre modo differre mortem dicantur; nisi forte ἡμέρα παρ' ἡμέραν ita abusive dici potuit ut nostrum einen Tag um den andern, quod plerumque alternis diebus, interdum quotidie significat. Caeterum transtulit hoc loco Sophocleus Ajax ea ad universam vitam, quae Homericus Ajax de proeliorum duntaxat discriminibus, Il. XV. 511.

*βέλτερον ἢ ἀπολείσθαι ἓνα χρόνον ἢ βιώσαι,
ἢ δηδὸν στερεύεσθαι ἐν αἰνῇ δηϊότητι,
ἢ δ' αὐτῶς παρὰ νηυσὶν ὑπ' ἀνδράσι χειροτέροιςιν.*

Mortis destinationem sequitur a v. 545 — 578. valedictio et supremae voluntatis significatio; qua finita uxorem cum filiolo tabernaculum intrare jubet; sequitur ipse*).

Intra tabernaculum praeparat executionem propositi. Foris ei et in solitudine facinus patrandum esse satius videbatur quam domi; primum ne suorum manibus vi coerceretur, deinde ne execrationes turbarentur, quas ut extremam ultionem meditabatur. Igitur discessuro comminiscendum erat aliquid et praetexendum, ut sine suspitione discedere a tabernaculo liceret.

Oratio Ajacis posteaquam ex tabernaculo redit, tota simulatio est**); ea quaesitum est a nonnullis num Ajacis ingenio et simplicitati consentanea esset. Nempe moriendi necessitas excusationem mendacii attulit.

Quemadmodum Eteocles Euripideus unius dominationis gratia scelera credit licita, ita Ajax mendacia pro sola dignitate, quam sibi in morte adipiscenda sitam existimat. Nemo fere Graecorum menda-

*) Contra Welckerum virum amicissimum hoc mihi loco disputandum est. Is enim l. l. p. 90. primus omnium qui Sophoclem explicuerunt, imo qui legerunt, statuit, nec Ajacem nec Tecmessam intus ire, sed dum chorus canticum canat, gestibus ea continuare quae adhuc sermone tractaverint; Tecmessam modo desperantis uxoris modo formidantis matris imaginem expressisse, Ajacem contra immobilem et meditantem similem adstitisse. Ac de Tecmessa quidem, certo scio, nemini persuadebit vir amicissimus. Quis enim crediderit, Tecmessam tam severo heri maritimo imperio obstinatas opposuisse aures? Ajacem imperii sui contemptum tolerasse? quasi dicat minax et imperiosus idemque imbecillus maritus: „Intra, mulier! — introito, inquam, cito! — Si cunctaberis porro, famulorum opera includeris. — Atqui si parere non vis, maneat licet!“ Solum in scena remanentem Ajacem facilius patiar. Sed ea quae chorus cantat, ejusmodi sunt ut absente Ajace cantata esse appareat.

**) Magni aliquid suscepit Welckerus persuasurus, vere Ajacem animum mutasse et ad meliorem frugem rediisse.

cium ideo perhorruit, quod in veritate numen quoddam inesset et sanctitas divina*), sed propterea quod vel formidinis et ignaviae documentum esset, vel, si lucelli causa quispiam mentiri vellet, humilitatis et servilis animi. Quarum neutra rationum in Ajacis mendacium cadebat. Sed tripartita est oratio et triplex simulatio; prima orationis pars meris constat mendaciis necessitate extortis; primum enim, ad sopiendam suorum vigilantiam fatetur, tandem se fatigatum esse urgentibus Tecmessae precibus fractamque ipsius filiiue misericordia constantiam suam; deinde ut incustodite discedere liceat, lavacrum se petere simulat; postremo, ne quenquam offendat, quod armatus gladio (eum enim ut sumeret, tabernaculum intraverat, antea inermis) ad sacra meet, asserit defodere se velle Hectoris donum tanquam invidiae suae publicae initium et causam. Media orationis pars ironiam verius habet quam simulationem. Nimia libertate nimiaque simplicitate lapsus sibi visus est.

„Antea, inquit, virtuti principem locum esse putabam et meritis „gloriam et decus deberi; nunc, rerum peritior, intelligere coepi, vel „fortissimum obnoxium esse iis quibus deorum arbitrio imperium et „potestas permissum est; antea candide, simpliciter, incaute ex animi „sententia et amare et odisse consueveram; nunc, ingenia hominum ex „pertus, calliditati operam daturus sum et ad utilitatem amicitias et „inimicitias metiri incipiam**). Denique ex Ajace unus multorum

*) Testis est Orestes Sophocleus, homo honestissimus, in Electr. 62.

δοκῶ μὲν οὐδέν ῥῆμα σὺν κέρδει κακόν.

**) A Biante illud Ajacis dicterium est profectum: φιλεῖν δεῖ ὡς μισήσοντας, καὶ μισεῖν ὡς καὶ φιλήσοντας. Tale praeceptum, perinde ac pleraeque gnomiarum poetarum sententiae, ad calliditatem potissimum excitantes, prorsus contrarium fuit heroum ingeniis; at enim bifariam veritatem scilicet suam demonstraverat Ajaci. Nam pro Ulysse et Atridis saepe animam profundere paratus fuerat Ajax, quos nunc inimicissimos expertus est; Hectorem contra acerrime oderat, eum, cujus dono mox tanquam liberatori gratiam habiturus est.

„fiam.“ Opinor, hoc sentit: „Ea conditione si vivendum est, non vivam.“ Extrema orationis pars reservationis mentalis, ut ajunt, plena est, gnaris sua sponte dilucidae.

Ne in novissima quidem oratione a v. 875 Ajax quidquam de torvitate et contumacia remittit; nisi quod initio rursus ironiae habitu vestitur. Optime enim sibi conscius neque ullum facinus reminiscens cujus poeniteat, quum deos nihilominus sibi infestos, homines beneficiorum prorsus immemores ingratosque norit, quumque expertus sit, quam nihil virtus adversus deorum potentiam polleret, ad ironicam quandam animi sermonisque lenitatem mitigatur, captivo pugnatore similis, qui post fortissima facta superatus catenisque vinctus ludibrioque inimicorum expositus, tranquillitatem animi ostentare ac subridere quam frustra recalcitrare vel vincula mordere dignius existimat. Hic est animi habitus Ajaci, quum et gladium ab homine maxime invisio acceptum sibi necem illaturum quasi adulatione quadam prosequitur vs. 821.

ἐπὶ δ' αὐτὸν εὖ περιστείλας ἐγώ,
εὐνούστατον τῷδ' ἀνδρὶ, διὰ τάχους θανεῖν*).

et Jovem invocat vs. 824.

σὺ πρῶτος, ὦ Ζεῦ, καὶ γὰρ εἰκός, ἄρκεσον**),
αἰτήσομαι δέ σ' οὐ μακρὸν γέρας λαχεῖν.

Namque sepulturae denegationem cum deprecatur Ajax, nihil aliud facere videtur, quam si Christianus homo mortem minime recusans

*) Masculinum est εὐνούστατον, als meinen besten Freund; περιστείλας ita dictum ut Phil. 447. In transitu moneo, vs. 820.

σὺ δὲ πρῶτος θηγάτην νεκρονήσας

aptius legi post secundum hujus orationis versum, post σχολή, ac fortasse trajiciendum esse.

**) Ad πρῶτος supplendum est ἀνακαλούμενος; alioquin illud καὶ γὰρ εἰκός intelligi nequit.

tantum spatii et dilationis ab hoste peteret, ut supremas preces fundere animumque deo commendare liceret; id enim petisse ne contumacissimo quidem ignavum, id denegasse vel crudelissimo nefas videtur; erubescendum prope est, tale quidpiam tanquam beneficium rogari. Idem fere in alteras preces quadrat vs. 831.

καλῶ δ' ἄμα
πομπαῖον Ἑρμῆν χθρόνιον, εὖ με κοιμίσαι.

Multo majus orat infera numina, quibuscum non eadem sibi similitas quae cum coelitibus. Memorabile utique id est, quod Atridas solos detestatur, non Ulyssem, vs. 841.

τῷς αὐτοσφαγεῖς
πρὸς τῶν φιλίστων ἐχθρόνων τ' ὀλοίατο!*)

Quippe judicum injustorum nefariam impietatem tunc hostilius oderat quam litigatoris et adversarii victoriam quamvis invisam.

Interit Ajax, ultra hominem pollens viribus et animo, sed qui ratus, justitiam et constantiam satis esse ad virtutem, contemtor sit humanitatis proptereaque etiam prudentiae, moderationis, modestiae, mansuetudinis, caeterarumque bonarum artium quibus cumulatur virtus, lenioribusque animi bonis parum tribuat. Denique venerabilis est ob virtutes, propter vitia miserabilis.

Non omnis moritur Ajax, dum interit**); vivere pergit, quando Teucer in ejus locum succedit, acerrimus defuncti defensor et qui

*) Ascivi Musgravii conjecturam, *τε* post *ἐχθρόνων* inserentis, Welckerique explicationem, *φιλίστων* ad Agamemnonis, *ἐχθρόνων* ad Clytaemnestrae necem referentis; matricidium enim Orestis quanquam pro Agamemnonis honore patratum, tamen in calamitatibus domus numerabatur.

**) Si morte Ajacis, ut nonnulli maluerunt, terminavisset poeta tragoediam, eodem

omnia non secus pro Ajace dicat agatque, atque Ajax ipse, si superstes esset, diceret ageretque. Nam Teucer una cum Ajace, Tecmessa Cho-roque λόγον πρωταγωνιστήν agunt *); superest, ut, nisi Sophoclea tragoedia Aeschyli Persis, cujus fabulae forma est Sophoclis multo simplicior, aequalis futura erat, spectetur audiatque et altera pars, λόγος δευτε-ραγωνιστής, quem tradidit Sophocles Atridis.

Lex est cum universae artis tragicæ tum praesertim in Sophocleis fabulis conspicua, ut nec boni vitiis et culpa careant, nec bonorum adversarii sine jure quodam agant. Itaque pessime errant, qui in ea Sophoclis tragoedia, cui Philoctetae nomen est, sub Ulyssis Philoctetae decipientis persona sceleratum hominem, cui omne fas nefasque ludus sit, introduci putant; qui in eo potius totus est occupatus, ut pro rei publicae commodis et ipse omnia audeat, et singularium privatorumque hominum utilitates, si opus sit, bono publico remittat. **)

fere modo leges tragoediae migrasset, quo illi ludorum scenicorum redemptores, qui Schilleri Mariam Stuartam ita in compendium redigunt, ut, quidquid post supplicium Mariae agitur, omittant; quasi vero satis tragicum sit, effundi sanguinem. Neve mireris, eam personam, a qua nomen habet tota fabula, paene media tragoedia interire, idem sit in Caesare Shakespearii, non apertiore hercle vitio et culpa quam apud Sophoclem.

*) Ingeniose de λόγῳ πρωταγωνιστῇ et δευτεραγωνιστῇ disputavit Guil. Schneider de originibus tragoediae Gr. p. 102, unde haec juvat transcribere. „Omnis actio constat „duabus ex partibus, quarum altera est agens, altera ea quae aliquid patitur. Jam „si actio hominibus repraesentari debet, duae personae requiruntur, quarum altera „ab altera patitur aliquid, eaque haec patiens in tragoedia sustinet λόγον πρωτα- „γωνιστήν. — — Omnes autem personae, quae sub eadem conditione sunt, qua premitur „illa primaria persona, pertinent ad λόγον πρωταγωνιστήν, quum contra illae quae ab „altera parte stant, ad λόγον δευτεραγωνιστήν referendae sint. — — Et in iis fabulis „in quibus duo actores inducuntur, λόγος πρωταγωνιστής esse potest nullus, et in „quibus unus actor omnium partes sustinet, non excluditur.“

**) Vid. Commentationem elegantissimam: Bernhardi de Philocteta Sophoclis in Pan- theo Kannegiesseri.

Ambo Atridae nostra in fabula Ajaci ita fere opponuntur, ut in illa tragoedia Ulysses Philoctetae; illi rei publicae consulunt, hi suam uterque libertatem defendunt; sed hoc differunt, quod Ulysses illic, Philoctetae oppositus, utilitatibus publicis providet, Atridae autem hic, Ajaci adversantes, jus et obsequium erga leges et magistratus tuentur adversus Ajacis contumaciam et immodestiam. Imperatorum judiciumve severitatem vel crudelitatem justius in iis quae agunt arguas, quam inimicorum malignitatem et saevitiam. Doriensium enim rigidos mores tribuit poeta iis, qui anteaquam illis regionibus Doriense nomen auditum erat, Argis et Spartae regnaverant, pauca ex HomERICA eorundem ingeniorum adumbratione retinens. *)

Agnoscentur Dorienses ac potius Spartani primum ex impotentia Menelai imperium sibi et principatum in omnes Graecos arrogantis, quam arrogantiam Teucer non dubitantiùs repulsat, quam ipsi Athenienses fecerunt bellis Persicis; vs. 1099 et 1103.

*οὐκ αὐτὸς ἐξέπλευσεν ὡς αὐτοῦ κρατῶν;
Σπάρτης ἀνάσσω·ν ἦλθες, οὐχ ἡμῶν κρατῶν.*

Agnoscentur ex ingrato animo et oblivione vel dissimulatione meritorum Ajacis, quam Teucer non lenius perstringit, quam legatus ille Atheniensis, qui Graecos Atheniensium virtute Persico servitio ereptos ac servatos Spartanorum in concilio arguit. **) Agnoscentur ex insolentia et contemptu, quo in Teucrum ut barbara ancillaque natum atque ἀγενῆ grassantur, quamquam optime de exercitu meritum, quemad-

*) Admirabili confusione Agamemnoni simul Cresphontis Doriensis, simul Atrai Achaei flagitia exprobrantur, tanquam uterque ad ejus genus pertineat; vid. vs. 1285 et 1293.

**) Thuc. I. 75. Ἄρ' ἄξιότ' ἐσμεν, ὦ Λακεδαιμόνιοι, καὶ προθυμίας ἔνεκα τῆς τότε καὶ γνώμης ξυνέσεως ἀρχῆς [τε] ἧς ἔχομεν τοῖς Ἕλλησι μὴ οὕτως ἄγαν ἐπιφθόνως διακείσθαι;

modum *Εἰλωτες* bellis quidem et defensionis reipublicae Spartanorum adhiberi solebant, ita tamen ut ignominiam generis et fortunae abolere nihilo magis possent; quum Athenis contra inde a Clisthenis aetate multi deinceps servi civitate donari coepissent, et ex virtute, artibus, etiam opibus multo magis cives et incolae aestimarentur quam ex genere. *)

Sed hanc morum Lacedaemoniorum partem quasi in transitu descripsit Sophocles; ad ipsam rem et tragoediam illud pertinet, quod Spartanorum cum severitate et rigore leges suas ἀκινήτους et reipublicae formam aristocraticam magistratuumque dignitatem tuebantur, quorum a reverentia longius aberant Atheniensium animi. Hinc Menelaus vs. 1071.

καίτοι κακοῦ πρὸς ἀνδρὸς, ἄνδρα δημότην
μηδὲν δικαιοῦν τῶν ἐφειστώτων κλύειν —
ἀλλ' ἄνδρα χρεὴ, καὶ σῶμα γεννήσῃ μέγα,
δοκεῖν πεσεῖν ἂν καὶ ἀπὸ μικροῦ κακοῦ **).

idemque sentiens ac docens repetit Agamemno vs. 1253.

Sepeliri vetant Ajacem ambo Atridae. Quare? quove jure? Propterea, ajunt, ut Ajax postquam voluntaria morte publici supplicii dedecus evitavisset, hoc saltem modo poenas daret et exercitus iram exitium ejus flagitantis ***) placaret.

*) Thuc. II. 35.

**) Ita Mss. Sed corrigendum fortasse: ἀπὸ μικροῦ κακόν, ut κακόν ad ἄνδρα referatur, si primum se exhibeat, μικροῦ autem masculinum sit. Respicitur ad Hom. Il. III. 168. ἦτοι μὲν κεφαλὴ καὶ μέγας ἄλλοι ἴσασιν scil. quam Agamemno, et vs. 227. ἔσοχος Ἀργείων κεφαλὴν ἥδ' εὐρέας ὤμους de Ajace.

***) Vid. v. 727.

Sed alia etiam ratio accedit. Parricidam ac perduellem judicabant eum, qui regem atque omnem exercitum dolo necare conatus esset; nam quod non exsecutus est caedem, non morantur. Omitto comparisonem Polynicis, qui utpote hostis patriae sepulturae honore a Creonte privatur, sed ipsi Lacedaemonii historica etiam aetate perduelles more vel legibus non suppliciiis tantum afficere, sed sepultura etiam privare solebant, nisi forte novo exemplo ac tumultuarie vel per iram Pausaniam ἐς τὸν κεάδαν conjectum esse putabimus! Alias etiam in mortuos saevitum est a Spartanis. Alcmaeonidarum ossa pridem defossa eruit et extra Atticae fines projecit Cleomenes, Isagorae Atheniensis socius (Thucyd. I, 126.); cujus crudelitatis memoria Sophoclis aevo, ac fortasse eodem fere tempore quo hanc fabulam meditabatur vel docebat Sophocles, renovata est rumoribusque agitata, quum Spartani Periclem eodem crimine civitate expellere studebant. Nihil tale mihi notum de Atheniensium damnatis, nisi quid forte per iram factum est ejusmodi.

Atque haec quidem communia ambobus Atridis. Quos nisi dissimiles etiam inter se fecisset porta, in vituperationem incurreret justissimam. Sed satis distinxit utriusque mores. Menelaum enim insolentiorum tanto fecit, quanto jure, potestate, dignitate inferior erat fratre, tanquam auctoritatis suae debilitatem arrogantia sanare vellet*). Igitur cupide is omnia et contumeliose agit, propriumque Ajacis odium prodit acrius quam publicae vindictae curam, simul ignaviae suspicionem movet, exultando, quod inermem certe et exanimatum ulcisci liceat**).

Multo dignior Agamemnonis oratio; iracunda sane ab initio, sed non immerito, quod fratrem imperiique socium contumeliose a Teu-

*) Vid. vs. 1069.

οὐ γὰρ ἔσθ' ὅπου
λόγων ἀκοῦσαι ζῶν ποτ' ἠθέλησ' ἐμῶν.

**) In ipso colloquio quaedam prave explicari puto. Vs. 1132.

τούς γ' αὐτὸς αὐτοῦ πολεμίους οὐ γὰρ καλόν:

Ultima verba interrogative scribenda esse, ratio sententiae demonstrat. In his

cro tractatum audiverat; superba, quod Ajacem sibi anteponi non patitur *ὁ βασιλεύτατος*; crudelis etiam, quod contumacia ac prope seditio male parentium suppressenda videtur; sed vacua tamen ab insolenti exsultantia et ludibrio, ut regem iratiorem quam hominem agnoscas. Idem in colloquio quod sequitur cum Ulysse, eum se praebet, ut non tam propriae ac privatae irae indulgeat, quam jus talionis vindicet et inconstantiae crimen metuat, tanquam regiae auctoritati nociturum. Caeterum ut irasci celerem, ita placabilem et meliora suadentibus patulas praebentem aures Sophocles finxit, auctoritate nixus Homeri.

Itaque quemadmodum Ajax roboris ac virium abusu peccaverat, ita nunc Atridae rursus dignitatis et potestatis *) abusu peccant. Illinc virtus non sine contumacia, hinc jus non sine crudelitate pugnat. Neque Ajax satis innocens est, neque satis aequus Agamemno.

In Philocteta deum ex machina advocavit poeta, ut controversiam Philoctetae et Ulyssis solveret, quorum ille jure suo ac merito Atridis Graecisque, id est reipublicae, succensebat, hic publico periculo

verbis urget Teucer vocabulum *πολέμιος*, hostis, pro quo *ἐχθρός* potius, inimicus dicere debuerat Menelaus:

ἦ σοὶ γὰρ Ἀίας πολέμιος προὔστη ποτέ;

In responso Menelai:

μισοῦντ' ἐμίσει· καὶ σὺ τοῦτ' ἠπίστασο.

multo praestat altera scriptura *μισοῦντ' ἐμίσουν*. h. e. perosum oderam, non osurus nisi prior me odisset. Ita enim in Ajacem Menelaus initium similitatis rejicit. Id ipsum τοῦ ἄρξαι crimen concedit Teucer, justam tamen Ajaci causam odii fuisse asseverans:

κλέπτης γὰρ αὐτοῦ ψηφοποιός εὐρέθης

Furem enim te expertus erat, cum in suffragium mitteres judices: nam *κλέπτης* proprie dictum, fur scil. armorum Achillis: *ψηφοποιός* nihil aliud significare puto quam *ψηφίζων* vel *ἐπιψηφισιν ποιούμενος*. Vid. v. 449. Corruptas judicum mentes auctoritate et insusurrationibus Atridarum suspicabatur Ajax; nihil gravius, ac ne hoc quidem nisi ex Ajacis suspicione, delictum fuerat ab Atridis.

*) Ulysses vs. 1334.

μηδ' ἢ βία σε μηδαμῶς νικησάτω

τοσόνδε μισεῖν, ὥστε τὴν δίκην πατεῖν.

ibi enim *βία* potestatem et imperium, *δίκη* aequitatem significat.

quibuslibet artibus medendum esse certum habebat. In Ajace idem Ulysses quasi deus ex machina intervenit, ut eum finem habeat illa lis, quem opus erat ad placandos et tranquillandos spectantium animos. Itaque Ulyssis persona non quasi litigatoris, ut in Philocteta, sed iudicis vel *δαιτητοῦ* partes sustinet, nec tam ut in Philocteta et in Euripidis Hecuba, publicis commodis unice intentus est, sed omnis humanitatis speciem et perfectissimum simulacrum exhibet; ut venia saltem digni videantur illi, qui Ulyssis potius quam Ajacis gratia totam tragoediam esse compositam existimaverunt.

Ulyssis persona subtilitatem veritate, audaciam modestia, constantiam mansuetudine miscentis, talis utique est, ut ejus comparatione et culpa errorque Ajacis in clariore luce collocetur, et ejusdem iudicio Ajacis virtus et gloria ab obrectatione et injuriis vindicetur.

Erravit Ajax cum ipsoque Tecmessa et Chorus, quod Ulyssem quem rivalem et adversarium experti erant, ideo inimicum dolosum, injustum, malitiosum crediderunt, quae suspicio quam falsa et injusta sit, re factisque demonstrat Ulysses. Adversarium quidem et paene hostem se profitetur Ajacis, sed invisum magis quam infestum, adeoque se mansuetum et generosum praestat, ut prope absit a caritate inimicorum Christiano homine digna*). Cognoscitur ea Ulyssis virtus vivo Ajace in misericordia, mortuo in tutela. Ac perperam quidam putant, monitu demum et praeceptis Minervae, quibus initio fabulae imbueretur, talem evasisse Ulyssem**). Quin etiam ipsa Pallade se moderatiorem, sapientiozem, meliorem praestat a principio, ut non tam institui videatur ejus mens deae verbis, quam tentari ab eadem ejus constantia et modestia vs. 79.

οὐκ οὖν γέλως ἡδίστος εἰς ἐχθροὺς γελᾷ;

Retinet salvo erga deae jussa obsequio incorruptam his monitis mo-

*) Praeiverat quodammodo Homerus Od. XI. 548.

ὥς δὲ μὴ ὄφελον νικᾶν τοῦδ' ἐν' ἀέθλῳ!

**) Gruppe Ariadne p. 208.

Abhandlungen der I. Cl. d. Ak. d. Wiss., II. Th. I. Abth.

derationem Ulysses, tam ignavum gaudium aspernando; et μακρηγορεῖν παρ' εἰδότηι videri posset Minerva vs. 418.

ὁρᾷς, Ὀδυσσεῦ, τὴν θεῶν ἰσχὺν ὄσση·

apud eum qui vs. 86. testatus erat:

γένοιτο μὲντ' ἂν πᾶν θεοῦ τεχνωμένου·

nisi utile esset, de gravissimis quibusque praeceptis etiam bene gnaros ac memores sacpe et illustribus exemplis admoneri.

Eundem se praestat Ulysses in fine fabulae. Primum veniam impetrat Teucri vehementiae, admonendo, ultro lacescitum esse virum. Deinde postquam egregia modestia curavit, ut aures Agamemnonis haberet benevolas et dociles, non quidem excusat Ajacis facinus sed poenam deprecatur, tanquam magnae et perpetuae virtuti vel gravissimum delictum ignoscendum sit. Igitur demonstrat, sepulturae prohibitionem fore et duram et injustam et nefariam, (ἀναλγήτως — τὴν δίκην πατεῖν — τοὺς θεῶν νόμους φθείροις ἂν) virtute principem excepto Achille Ajacem appellans, sibi que ipse anteponebat; porro ejusdem formidinem, ne vel inconstans habeatur, si odium Ajacis omittat, vel ignavus, si Teucri minis concedere videatur, eximit, donec Agamemno etsi non odium suum, at sepulturam tamen Ulyssi condonat. Ipse autem Ulysses tantum tribuit virtuti dignitatieque Ajacis, ut suis ipse manibus sepulturae inimici operam dare velit, facturus, nisi prohiberet Teucer.

Prorsus hoc rerum exitu satisfcit iis, qui illo quo fas est animo res humanas intuentur atque aestimant. Quicquid in Ajace et natura vitiosum erat et factis ab eo delictum est, morte ejus, luctuosa quidem sed optabili, luitum et expiatum est; quicquid in eodem admirati sumus, celebratur testimonio honestissimi ac sapientissimi existimatoris, tanto luculentius et locupletius, quanto acrior inter utrumque fuerat simillas.
